

Alte Drucke

Dissertatio Theologica Sistens Theomachian Ex Consilio Gamalielis Cavendam Ad Act. V, 39

Chladni, Martin

Wittebergae, [1715]

VD18 14902664-003

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permission, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-174430



DE
THEOMACHIA
EX
CONSILIO GAMALIELIS
CAVENDA.

Ad Act. V, 39.



ui novas res doctrinasque moliuntur, plerumque nihil antiquius sibi ducunt, quam ut conatibus suis divini alicujus auspicii speciem concilient, & sub hoc causae praesidio se ab omni judicio hominum liberent. Vaftrum istud est consilii genus & plurimorum Haeresiarcharum artificium, eoque magis periculosum, quo plures ab intuendo penitus & inquirendo in serpens malum arcere solet. Nec impari arte egerunt negotium, qui extraordinariis inspirationibus, ac visionibus venditatis, hodie DEI nomen praefigendum putarunt, ut eo tutius agerent, & minis etiam interpositis Doctores Ecclesiae sinceros a ferendo ex Verbo

Dei iudicio prohiberent. Unde non una vice Θεομάχες illos dixerunt, & in eum finem adhibuerunt Gamalielis consilium, istudque omnibus hoc tempore expediundum & sequendum commendarunt. Ita THOMAS BROMLEY sub clausulam libri de revelationibus immediatis p. 150. edit. German. in eo asserendo totus est, quod qui illum Spiritum dijudicent, quo sui agitentur, se opponant ipsi Spiritui Dei vivi & illum oppugnent, tametsi a quibusdam hoc fiat insciis: a quo tamen certamine potius omnibus ex Consilio Gamalielis sic abstinendum. Nominat iudicia de revelationibus extraordinariis in negativam partem exposita, blasphemias Spiritus Sancti, adeoque animos hominum incautorum non parum timidos reddit, ac verentes, ne forsan incogitantes crimen summum, & quod excogitari potest maximum, incurrant. Neque sollicitudo illa adeo est spernenda, quamdiu animus est haerens, dubiusque, annon aliquid in illis revelationibus sit, quod pro Spiritus Sancti fructu immediato merito sit habendum & agnoscendum? Quo vero per certa criteria ex verbo Dei confecto, omnis cadet metus, cum universum Θεομαχίας & blasphemiae flagitium in eos recidat, qui operationes aut phantasiae illudentis aut Satanae fascinantis, pro divinis iisque immediate coelitus productis venditant & hominibus commendant. Dignum itaque est illud consilium Gamalielis, de non adversus Deum pugnando μήποτε καὶ Θεομάχοι εὐρεθῆτε, Ne inveniamini forte Dei oppugnatores, Act. V, 39. quod brevitate concinna exponamus, & quae ab aliis de hoc loco fusius forte monita sunt, praetermittamus, contenti primas duxisse lineas eorum, quae in praesentibus controversiis veritatis cupidis lucem aliquam affundere possint. Deus vero, nobis non aliter quam per veritatem jungendus, Spiritu suo Sancto praesto sit,

fit, ut quicquid virium nobis concessit, adhibeamus ad propugnandam Ejus gloriam, & infringenda omnia rationis & Satanae munimenta, quae Verbum Dei sub pulchro etiam obtutu eripere tandem conantur. Amen!

§. I.

Consilii ratio ex Consultatoris cognitione quodammodo patere potest. Cujus *nomen* GAMALIEL, quod idem est ac *Deus retributio & merces mea!* non ineleganter evolutum deprehendimus a CASP. STRESONE in Acta p. 198. & GR. FRANCO Lex. S. n. 442. Ortus non Leviticus, sed aut plane dubius aut ratione lineae maternae e Judae tribu, utpote ex qua Hillel cum posteris descendit, cum ad functionem, quam obire jussus erat Gamaliel, non requireretur Sacerdotalis origo. Conf. FR. BVRMANNVS *Exercitat. Academic. VI. de Synagogis p. 60.* Neque confectum est, eum SIMEONIS *Xristo* *φίλος* *filium* fuisse, quod eruditi nonnulli pro certo & indubitato habere voluerunt, cum idonea argumenta nondum fuerint adducta. *Munus*, quod esset νομοδιδάσκαλος, legum divinarum Professor & Interpret ac publicus Expositor, cujus auditorem se profiteri non veritus est Paulus Act. XXII, 3. sibi que uti tribuit humilitatem in sedendo παρὰ τῆς πόδας hujus Doctoris, ita isti Doctori suo vindicat παιδείαν κατ' ἀκριβειαν, institutionem sedulam accuratam & exquisitam; verum quod notanter additur, τῷ πατρὶ νόμος, legis patriae, quae phrasis cum nomine νομοδιδάσκαλος, quod hic ipsi tribuit Spiritus Sanctus, admodum emphatice nos docet, Virum illum in officiis hominum rigoroſe expendendis & designandis fuisse bene versatum, sed doctrina Evangelii admodum leviter tinctum, ac circa media salutis obtinendae plane hospitem. Cujus rei indicio esse poterat, quod Saulus ejus disciplina imbutus, rigoroſissimum

lissimum legis Mosaeicae vindicem, ac fidelium, ut & discipulorum Christi persecutorem acerrimum ageret. Act. VIII, 1. *Status* externus ejus *honorabilis*, & publico munere, eoque splendido satis, conspicuus. Interfuit enim Senatui Judaeorum summo, cum aliis nonnullis ex Midraschoth seu Scholis Theologicis eo adscitus, ut ex Lege Mosaeica in rebus ad praxin pertinentibus sententiam diceret. Imo eum LIGHTFOOTVS *praesidem concilii* constituit, idque assertum non uno loco defendit, atque illum ipsum, non Caipham, praesedis in Synedrio, ubi de morte Christi consultatio instituta est, asseverat, *Chronic. Temporum N. T. T. II. Opp. p. 52. & 65.* *Honoratus* inter suos collegas, & populo universo τίμιος seu *venerabilis*, ut Spiritus Sanctus in Oraculo nostro praesenti v. 34. testatur, illamque venerationem etiam posteris suis velut haereditate quadam legavit, duobus ejusdem nominis nepoti & pronepoti, ut & duobus SIMEONIBVS filio & abnepoti, ut solenni nomine Rabbanim & Magistrorum praeter omnes alios compellarentur. Auditoribus suis adeo *charus* post mortem, ut memoriam ipsius sibi custodiendam cum pretio & impensis existimarent. Nam vel unum ONKELON *Targumistam* in ejus justis persolvendis 70. libras thuris insumsisse, antiqua tulit traditio eodem LIGHTFOOTO teste *Commentar. in Acta Apostol. c. V, v. 34.*

§. III.

Status internus animi vel ex eo unico liquet, si dixerimus, eum fuisse PHARISAEVM, Sectae illi addictum, quae merito dicitur a Paulo ἀκριβευμένη. Act. XXVI. 5. Atque cum Phariseaeorum septem classes ex Scriptoribus Thalmudicis colligat J. DRVSIVS *de tribus Sectis Judaeorum L. II. C. XXII. p. 275.* videtur ad illos spectavisse, qui dicerentur

cerentur **מחנכים** ex amore, qui praecepta Dei coluerit amore virtutis ac mercedis: atque in studiis & cura rerum sanctarum universae vitae spatium consumserit, traditionum tenacissimus, & strenuus doctrinae a majoribus acceptae cultor, alienus praeterea ab illis vitiis, a quibus secta ista hinc inde male omnino commendatur: qualia erant invidia, impuritas cordis, hypocrisis, coecitas ac furor, quod non perperam existimat NICOL. SERRARIUS in *Tribaeresio* L. II. c. V. p. 56. Sane **ἀνευθείας** illa laus ingentem secum fert sollicitudinem, ne quicquam vel tantillum aut fando aut agendo admitteretur, quod jure quodam desiderari posse videatur, instar alicujus *Praecisissae* aut *Absolutissae Moralis*: Interea Theologiam illam & doctrinam legum, quam coluit, nullatenus fuisse veram Christianam, recte & sufficienter probat antea adductus LIGHTFOOTVS in *Harmonia* IV. *Evangelist.* P. III. P. I. opp. p. 439. Eadem enim ipsum inscitia circa doctrinam de regeneratione, de fide in Christum salvifica, & aliis momentis altioribus, qua *Nicodemus*, laboravisse, certis colligi potest indiciis, quamvis uterque in reliquis **διδασκαλῶν τῆς Ἰσραὴλ** titulum satis splendidum reportaverit, & animum inutilibus legum computis & vanissimis tricis adimplerit: quae quid sint, vel ipsa Talmudici voluminis inspectio, in quo tot mysteria sapientiae laterent, oculatum lectorem edocebit.

§. IV.

Quibus itaque rationibus, GAMALIELEM nostrum fuisse toto pectore ad Christianismum conversum, contendat adeo BARONIUS, nequaquam videmus, & credimus potius, ipsum fidei suae Judaicae ad extremum usque spiritum adhaesisse, adeo ut BARONIUS ob id assertum non modo a Nostratibus & Reformatis pluribus, verum etiam
inter

inter suos a TILLEMONTIO admodum vapulaverit. Auctoritas enim, qua nititur BARONIUS, CLEMENTIS in Recognitionum libris, ita dudum suspecta fuit, ut libros illos eruditi ne *Viro* quidem *cuidam orthodoxo*, sed aut *Valentinianorum* aut *Ebionitarum* erroribus contaminato adsignarent, tantum abest, ut illos cum ARNOLDO, historiae depravatore, pro genuinae antiquitatis pignore habeant: quem ideo B. ITTIGIUS, prout par est, refutavit *Historia Ecclesiast. Seculi I. C. I. p. 56.* Adeo vero pro Christiano GAMALIEL agnoscendus non est, ut potius ex nonnullis monumentis Hebraeorum constet, eum precatiunculam aliquam a SAMVELE quodam PARVO conceptam, contra Christianos approbavisse, & recitandam commendavisse, de quo argumento merentur conferri LIGHTFOOTVS in *Horis Hebraic. ad Acta C. V. Opp. T. II. p. 704.* & ALTINGIUS in *Schiloh Libr. IV. c. 26. sq.* qui SAMVELEM istum fuisse SAVLVM seu PAVLVM, argumentis quibusdam evincere allaboravit; unde de eo, ut a scopo nostro alieniore, nihil amplius addemus. *Lightfooti* verba subiungi adhuc merentur: *Dum pro Apostolis aliququaliter apologizat (GAMALIEL) crederes, favere eum Christianismo, verum obiit ille Pharisaeus, atque illo siquidem non praecipiente, at saltem applaudente & approbante prodiit oratio ista, quae vocata est ברכת מיני Oratio contra haereticos. Et quosnam per haereticos intelligant, non difficile est intelligere.*

§. V.

Nimis itaque largum, suorum more, Panegyristen agit CLAUDIUS DAVSQVIUS, qui ubi Pauli vitam describit, & a blasphemiiis crassioribus eum etiam ante conversionem absolvere conatur, multoque meliorem mentem ipsi fuisse praetendit, utpote non aliud quidquam, quam
pium

pium ex Tarsensium schola, vel ex Gamalielis SANCTISSIMI prudentissimique magistri monstratis didicerit. *De Vita & obitu Pauli L. I. C. XI. p. 53.* Infausto sane calamo id scripsit, qui tenebras lucem appellat, & blasphemias Pauli, quas ipse post conversionem detestatur, excusare audet. Et cadunt praeterea reliquae BARONII fabulae, quibus asserit Christianismum Gamalielis, quod Stephani lapidati, cujus antea magister fuerit, exuvias honeste collectas, non saltem suo ipsius sepulchro, aliquot ab urbe lapidibus strueto, inferri, verum etiam corpus suum post mortem ipsi jungi voluerit, quorum tandem ossa conjuncta post aliquot secula fuerint reperta & aliorum translata, *ad A. C. 34. n. 279.* nulla alia nixus fide, quam LVCIANI Presbyteri in libro de translatione corporis Stephani, cujus tamen Scriptoris autoritas adeo levis est, ut assurgi ipsi minime possit, tamen eam maximopere evehat cum SPONDANO BARONIVS *ad A. C. 45. n. 1. sq.* Fides vero historica LVCIANI, prout ex Epistola s. libello apparet, quem pene totum excerptum dedit BARONIVS l. c. nititur somnio, in quo sibi apparuerit Gamaliel in forma senis longi dignique Sacerdotis, cani, barbati, palliati alba stola, cui insertae gemmulae aureae habentes intrinsecus sanctae crucis signum, & virgam auream manu tenentis, qua in forma etiam conspicuum se stiterit Monacho NYGETIO, & locum sepulchri sui ostenderit. Quas nugas, multum a fide ac verisimili abhorrere, ne ipse quidem dissimulare valuit PINIVS *T. III. Biblioth. Eccles. Script. p. 287.* tamen virum sanctum bonaeque fidei nominent TRITHEMIUS *de Script. Eccles. p. 52.* GENNADIUS ipse *p. 54.* Adeo ut jam tum sanctitas sub revelationum fictarum pallio coeperit se commendare. Conf. *CAVE Histor. Liter. Sec. V. p. 304.* Defendendum sibi hic

quamvis frustra, sumsit PETRVS WASELIVS in *Indiciis operum* JOANNIS HIEROSOLYMITANI *Opp. Tomo II. L. III. Art. IV. p. 636. (Bruxell. 1643.)* qui illam revelationem Spiritus Sancti fuisse, operose probandum suscepit irrito conatu: Ut adeo fabulas illas jure quodam jubeamus valere, & in ea sententia perstemus, nondum esse probatum, GAMALIELEM (adeo dulce nomen BARONIO) fuisse ad Christianismum conversum, & linteis sepulchralibus aliisque ritibus funebribus dedisse initium, prout ipsi visum est adstruere l. c. ideo praeter alios castigato etiam a JOANNE PEARSON Episcopo Cestriensi in *Lectiōibus ad Acta Apostolorum, Opp. posthumis p. 48. & 60. sq.* qui eum potius pertinacissimum Pharisaicum permansisse statuit.

§. VI.

Poterat tamen GAMALIEL hoc non obstante ferre consilium, quod Apostolis quodammodo esset salubre, nec opus erat ad id efficiendum, ut fidem Christianam amplecteretur, & Apostolis volentibus consentientibusve locum nihilominus in Synedrio occuparet. Nam ad exemplum NICODEMI hic provocare vix licet, utpote qui & fidem suam erga Christum veram testatus est, quando eum subinde noctu convenit, atque ab eo informationem in doctrina coelesti desideravit, & erga mortuum declaravit amorem sincerum, quando tam liberales in ejus sepulturam sumtus erogavit. Talia vero GAMALIELEM gessisse, nuspiciam Scriptura commemorat, ad quem potius cum provocet PAULVS in sua Apologia, non praeter rem credit LIGHTFOOTVS, fieri id nequaquam potuisse, nisi addictus mansisset Pharisaeorum doctrinae. Sufficiebat igitur, eum fuisse virum prudentia civili bene subactum, praeterea moraliter bonum, probum ac sincerum, nec minus moderatum &

tem-

temperata consilia sectantem, adeoque ad eum dirigendum confessum, qui res agendas & in disceptationem delatas discuteret ac dijudicaret, aptum quam maxime & idoneum. Quibus virtutibus raris & imperante dignis populi universi benevolentiam facillime aucupabatur, ut ipsi esset τίμιος & maximi habitus.

§. VII.

Patebit hoc eo luculentius, *si occasionem* intueamur, quae talem consultationem exposcebat. Vbi enim Apostoli concionem de Christo crucifixo & resuscitato miraculis multis confirmaverant, surrexit Pontifex maximus stipatus secta Sadducaeorum, furore & tumulto plenus v. 7. Hi enim praecipue doctrinae de resurrectione admodum infensi eam ferre nolebant, sed Apostolos in carcerem conjiciebant, qui cum ab Angelo Domini educti publice rursus concionarentur, noviter Synedrium congregabatur ad declarandum, quid facto opus esset? adeo ut, cum advocati Apostoli liberius paulo de Christi resurrectione iterum profiterentur, inciperent inire consilia de illis trucidandis v. 33. Quae feralis quaestio cum ageretur, & a plerisque sententia mortis ferenda animo volveretur, mediis deliberationibus modum statuit sermone suo GAMALIEL, & feroces ac saevientes consultatores compescuit. Nam quod bene annotat CASPAR STRESO, vox διεπίοντο & *motum cordis & vocem oris* importat, ut probabile sit, illud TOLLE! TOLLE! non sine magno strepitu a plerisque fuisse ingeminatum. Remotis ante omnia Apostolis, negotium consultationis suscipit, ut & Senatoribus parceret, nec videretur in gratiam reorum aliquid dicere, sed solum bono omnium publico consulere velle. E quibus singulis mira circumspectio & animi continentia eluxit.

Allocutio, quam forinat, insinuationis plena est: Ἄνδρες Ἰσραηλῖται, προσέχετε ἑαυτοῖς ἐπὶ τοῖς ἀνθρώποις τῆς τοῖς, τί μέλλετε πράσσειν. Videte caute & attendite vobis, quid cum his hominibus facere velitis! Ὅρα τὴν σύνεσιν τῆς διμυγορίας! exclamat CHRYSOSTOMVS in h. l. Prudentia enim sermonis hujus in eo praeter alia elucet, quod & *confidentiam* erga se, & *metum* in animis audientium movet. Illam, quando omnem a se removet suspicionem, utpote qui cum illis quoad rem ipsam sentiret; hanc vero, quando eventum Θεομαχίας illis ob oculos ponit, si audeant homines innocentes occidere. Vult itaque *temeritatem* & *praecipitantiam* temperare & corrigere, eoque rem perducere, ut maturiora consilia prodeant, & tantum negotium studiosius deliberetur. Hoc vero notabile ad prudentiam ejus porro cognoscendam, quod *conclusionem* suffragii sui de non occidendis Apostolis subti-
ceat, *medios* nihilominus *terminos* & *rationes* satis praegnantibus addat, quibus sententiam mortis suspendendam, & non equidem omne iudicium tollendum, sed affectus tamen illicitos reprimendos putaret. Praemittit vero exempla, eaque obvia & in recenti memoria posita eorum hominum, qui ausi res novas moliri, & illis divinum auspicium adesse mentiti sunt, infelici tamen eventu, & quod praeterea notari meretur, recentius factum THEVDAE, JVDAE Galilaei facto, quod vetustius est, anteponit, non lapsu aliquo memoriae aut inscitia, quod volunt nonnulli Interpretes, sed studio quodam, ut quae proxime gesta, & recentissima essent, primum oculis repraesentaret, mox ad alia, antiquiora etiam, adjungenda se conferret. Vnde facile intelligitur phrasin illam v. 37. μετὰ τῆς τούτου, non esse
distin-

distinctivam temporis, sed rei, seu facti, ubi integrum est Oratori, factum antiquius post recentius recitare audientibus, quod tamen priori loco, si tempus simul spectes, merebatur referri.

§. IX.

Nolumus autem istas historias, de quibus alibi commodius agitur, hic fusius excutere, cum coeterum non desint monumenta quaedam selectiora. Attendimus potius medullam & scopum, quare eas adduxerit GAMALIEL. Pro turbatoribus & Ecclesiae & reipublicae accusabantur Apostoli. Hos tales nec negat GAMALIEL, nec affirmat, esse; sed relinquit tantisper in medio, & saltem hoc vult, ut moderate geratur negotium, syllogismo velut cornuto & utrinque feriente rem agens: Aut enim sunt accusati vere tumultuantes & rebelles, atque consilia mere humana agunt: Aut res ipsorum altioris forte indaginis & divini sunt auspicii. Si prius: non sane diu durabunt conatus: patet enim exemplo turbatorum THEVDAE & JVDAE, quod, etiamsi vires quasdam paulatim acquisiverint, nihilominus tandem fusi caesque fuerint: Si posterius, vereor, ne frustra laboretis, cum adversus DEVM pugnare (θεομαχεῖν) admodum res difficilis sit, & plane inanis, imo praeterea turpis, & viris sapientibus prorsus indigna. Hoc modo totius orationis GAMALIELIS nervus se prodit, quae tandem ultimato eo tendit, *esse moram quandam huic negotio interponendam*, donec appareat porro, utrum Apostoli instar reliquorum Turbonum congregati sint ad se homines rebelles, & sic ulterius rempublicam turbaturi. Quod si eveniat, dandam esse tunc operam, ut illorum conatus repellantur; si non eveniat, consilia deinceps capienda esse, an aliqua poena, & qua, sint afficiendi?

Apparet igitur consilium hoc, uti sapiens & circumspēctum, ita nihilominus saltem fuisse *Politicum*, a Viro gerendis & judicandis rebus exercitato pronunciatum, non vero *Theologicum*, cum ipsam arcem rei, quam constituebant articuli fidei, ab Apostolis noviter & insolito more propositi v. 30. 31. non aggrediatur, sed negotium exterius tantisper bene satis discutiat. Inde equidem non videmus, cur CALVINVS apud MARLORATVM adeo abjecte de hoc consilio GAMALIELIS judicet, scribatque: *Dilemma hoc multis videtur esse validissimum, ut a multis pro oraculo habeatur; sed si quis omnia rite expendat, indigna haec apparebit prudenti sententia.* Nam quae sequuntur apud ipsum CALVINVM, virum illum non omni prudentiae laude privant: *Neque enim verisimile est, eum sic locutum fuisse, quia probaret evangelii doctrinam, vel ejus patrocinium suscipere vellet: (Idque & nos volumus, nam alioqui alius longe sermo fuisset habendus) sed quia omnes alios videt rabie accensos vir humanus & moderatus, medio sermone excessum illum temperat. (Ergo laus circumspēctionis non detrahenda) Attamen si ejus sententiae subscribendum penitus esset, abstinendum esset hoc modo ab omnibus poenis, nec amplius ullum maleficium corrigendum.* Atqui hoc GAMALIELI non venisse in mentem asserere, certi sumus, utpote viro aequo & justitiae alias tenaci: Sed pertinent haec potius ad abusum sententiae Gamalielis, de quo mox dicemus. Quae coeterum sequuntur apud CALVINVM, itidem immitius de GAMALIELE nostro censent: *Loquitur GAMALIEL tanquam de re dubia: Unde apparet, jam a fundamento cum nihil habere firmi, quando in causae qualitate suspensus haeret, nec statuere audet, bonane an mala sit?*

Ubi

Ubi, quod in dubia re nihil praecipitandum esse, senserit
 GAMALIEL, non imprudentiae, sed sapientiae moralis
 specimen esse existimamus, tametsi in eo peccaverit & con-
 scientiam laeserit, quod se ab illo dubio satis periculoso
 non liberaverit nec veritatis cognitionem quaesiverit aut ob-
 latam amplexus fuerit : De quo CHRYSOSTOMVS non
 parum miratur : *θαυμάσαι ἄξιον, πῶς κατὰ τῶν κρείσσις*
ἔχων, ἡ νομομαθὴς ὧν ἐδέπω ἐπίστευσεν : *Dignum admi-*
ratione, quod vir tanto iudicio valens, legisque doctor existens,
nondum crediderit.

§. XL

Nec tamen sine omni respectu doctrinae id factum
 credimus, ut GAMALIEL liberos a mortis sententia cen-
 suerit Apostolos. Nam ubi bene attendimus Spiritui San-
 cto loquenti, non praeter causam credimus v. 17. annota-
 tum, quod consilia illa crudelia coeperit *Ἀρχιερεὺς cum*
Sadducaeis coeco impletis Zelo, quoniam ut supra dictum,
 infensissimi erant doctrinae de resurrectione, quam Apo-
 stoli adeo inculcabant. Pharisei vicissim secus sentientes
 & resurrectionem adversus eos adstruentes, hac ratione quo-
 dammodo Apostolorum causam tueri malebant, quam
 in gratiam Sadducaeorum illos damnare, unde & PAVLVM
 aliquando mitius habitum a Phariseis legimus, ubi
 jam a Sadducaeis pene morti erat addictus. Quampri-
 mum enim pronunciavit, se tueri doctrinam de resurre-
 ctione, mox in partes scissus est coetus, & Sadducaeis fre-
 mentibus, Pharisei pene eodem stylo GAMALIELIS usi,
 nihil esse, pronunciant, quod in Paulo noxium esset & da-
 mnandum, si enim forte habeat hanc doctrinam ex reve-
 latione divina vel Angelica, *μὴ θεομαχῶμεν, nolimus DEO*
repugnare & *eius voluntati obistere.* Act. XXIII, 9. Video
 eo

eo etiam inclinare PEARSONIVM antea adductum: *Mibi quidem videtur, GAMALIELEM, pertinacissimum Pharisaeum, ideo Consilium dedisse, ut dimitterentur Apostoli, quod Sadducaei eos accusarent, quodque ipsi tam strenue resurrectionem tuerentur. Lect. in Acta. p. 49. Eoque fine etiam istud consilium susceptum esse animadverto LIGHTFOOTVM tradidisse: Consilium, quod hic proponit, videtur idem fuisse, quod practicum est inter Sadducaeos & Phariseos, secta una interitum alterius optante & expectante. Hor. Hebraic. in Acta Apost. T. II. Opp. p. 704.*

§. XII.

Quocunque demum animo haec differuerit GAMALIEL, excidit sane ipsi pulchra admodum sententia gravisque, μήποτε ἡ θεομαχία εὐρεθήτε: *Opera vobis danda, ne inveniamini Numinis oppugnatores!* utpote quod factum fuisset, si in crudelissimo illo proposito perseveravissent, quamvis ne sic quidem, ut mox notabimus, a θεομαχία sint absolvendi. Est vero haec duplicis generis, alia *Dogmatica*, alia *practica*. Illa aut *latius* sic dicta est, quando veritas coelestis in verbo DEI revelata hostiliter impugnatur, ipsique audacter contradicitur, unde nomine θεομάχων omnes & singuli haeretici formaliter tales merito veniunt: aut *strictius*, quando ea doctrina, quae majestatem DEI aut absolute aut relative considerati, directe aggreditur ac laedit, defenditur; quo pertinent errores Macedonianorum, qui recte πνευματομαχων titulum obtinuerunt, Arrianorum & similium, qui Jesu Christi divinitatem negarunt, Epicuræorum & Atheorum, qui aut DEI existentiam aut providentiam aut potentiam invertunt, Fanaticorum, qui Christum nunc huc nunc illuc reponunt, veram autem doctrinam de Filio DEI pro nobis passo, mortuo & resuscitato pro-

prosternunt ac negligunt, & quae alia sunt dogmata, quae directe ad impugnationem divinae majestatis in una alteraque persona SS. Trinitatis sunt inventa. Adeo magna eorum caterva est, qui ubi in defendenda Numinis gloria & majestate diu noctuque occupari debebant, nihil minus agere deprehenduntur, si fructuum doctrinalium apud ipsos genius penitus introspeciat, utpote qui sunt *porismata blasphemia* in dedecus DEI tendentia, & non sine horrore dicenda aut audienda. Adeo ut sicut verae doctrinae character genuinus ex Servatoris asserto est & manet DEI honorem quacrescere, Ioh. IIX, 49. ita falsae doctrinae affectio est θεομαχεῖν, & ea omnia impugnare, quae Deum nobis tanquam majestate praeditum depingunt: quo sensu Johannes plures Anti-Christos dari 1. Joh. II, 18. non diffitetur.

§. XIII.

Alterum genus θεομαχίας est *practicum*, atque sic non ea saltem datur, quae homini post lapsum est *naturalis*, atque *originalis*, & ab Apostolo ἐχθρὰ εἰς θεόν dicitur Rom. VIII, 7. uti homines ἐχθροὶ Rom. V, 8. qua homo *naturaliter* averfatur Deum resque divinas, & mundo mundanisque delectatur, & una voce caro est Joh. III, 6. verum etiam quae *actualis* est, & nunc fit ex ignorantia, nunc contra scientiam & conscientiam. Ad priorem classem refert ea Paulus, quae antea fecerat ante conversionem, 1. Tim. I, 13. ita tamen, ut, quoniam illa ignorantia (ἀγνοῶν ἐπίνοια) erat vincibilis, & superari debebat ac poterat, non immerito peccatum illud satis grande existimet, & se peccatorem πρῶτον nominet v. 15. Gravior tamen ea, quae est posterioris classis, ubi quis melius informatus, & de veritate coelesti convictus, nihilominus illam non saltem oppugnat verbis, verum etiam factis, confessoresque istius indignissimis persequi-

sequitur modis, & ne quidem monitus recedit ab instituto, sed pertinaciter viis pessimis insistit, imo interdum in illa duritie Deum oppugnandi ad finem vitae perseverat. Quodsi blasphemia praeterea accedat, *peccatum in Spiritum S.* hanc esse *θεομαχίαν*, quis non animadvertit? Hic vero status animae tristissimus & deploratissimus est, & multo magis miserabilis, quam ut calamo depingi aut ulla eloquentia describi possit, adeo ut tametsi eum omnimode perspectum non habuerit GAMALIEL, credibile tamen sit, ipsum exquisitissimum & culpae & poenae malum per τὸ θεομαχεῖν exprimere voluisse, ac desideravisse, ut collegae a tanta labe exitioque sibi caverent, ne forte invenirentur *θεομάχοι*, tanquam homines, qui cum Spiritu S. litigare & certamen inire, operationesque ejus per verbum praedicatum suppressere & extingvere auderent: utpote quod Gigantomachiam illam multis modis superaret.

§. XIV.

Quamvis vero adeo operose dissvadeat GAMALIEL Collegis suis gravissimum *θεομαχίας* crimen, non tamen penitus & ipsum ab eo absolvendum esse, eventus indicat. Etiam si enim peccatorem in Spiritum S. eum dicere non possumus, cum nonnulla requisita defint, eaque praecipua, quae talem hominem designant: attamen quod inter tot ad agnoscendam veritatem invitamenta divina, agnitaeque partim documenta clarissima, maluerit in nocte & tenebris permanere, rem totam in medio relinquere, non vero doctrinam coelestem profiteri, nec confessores aperte tueri, in animum induxerit, res fuit in exitium animae manifestissimum deducens. Repugnavit igitur ipsemet vocanti & pulsanti Spiritui Sancto, & operationes ejus gratiosas in accendenda fide erga Christum crucifixum & resuscitatum

teme-

temere repudiavit, plerorumque Pharisaeorum exemplo, qui coeno operum legalium & justitiae inde orientis, toti immerſi, de fide juſtificante parum audire volebant, unde proverbium vivo adhuc Chriſto vulgatum erat: Μῆτις ἐκ τῶν Φαριſαίων καὶ Ἀρχόντων ἐπίſτευεν εἰς αὐτόν; Joh. VII, 48. Quamvis etiam exempla varia in contrarium data fuerint, eorum, qui ex Pharifaeis crediderunt, neque tamen confeſſi ſunt, *ne extra Synagogas pellerentur* Joh. XII, 42. Cur tamen ne in horum quidem poſteriorum numerum Gamalielē referamus, cauſas habemus praegnantē, cum conſilium ejus non videatur tendere ad univerſam poenae *intermiſſionem*, ſed tantum aliquam *dilationem*, aut *ſupplicii capitalis moderationem* & mutationem in aliam poenam corporis *afflictivam*. Hoc enim patet ex iis, quae ſequuntur textum noſtrum, ubi duo referuntur, partim quod Gamalieli *adſtipulati fuerint* Senatores (ἐπειθὺς αὐτῷ dicto fuerunt audientes, & perſaſioni non reſiſtentes) partim quod mox advocatos *Apoſtolos flagellaverint*, & minis interpoſitis concionem de Chriſto intermittendam praeceperint. Flagellationem enim violentam illam, barbaram & injuſtiſſimam revera factam eſſe, vocis δειγόντες uſus biblicus teſtatur, utpote quae nunquam aliter quam proprie adhibita legitur, nuſpiam vero pro *objurgatione* accipitur, ſi vel maxime alicui eo recurrendum eſſe videri poſſet. Cum itaque dicantur Senatores aſſenſiſſe Gamalieli, & nihilominus eos flagris caedi juſſiſſe, probabile admodum eſt, ipſo ejus conſilio ſuaſuque factum eſſe, quicquid deinceps actum, ipſumque acquieviſſe, quod tantisper eos a caede praſervaviſſet.

Decebat itaque Gamalielelem, ubi primo suo sermone composuerat affectus furentes Synedrii, & quodammodo in ordinem redegerat, ceu *legis & doctrinae coelestis interpretes* propius deinceps, moderatione nihilominus animi debita, ad rei tantae cardinem accedere, & Syllogismum suum cornutum per propositiones simplices ulterius enucleare; atque ubi viam jam praeparavit illa majore, in Dilemmatis altero membro latente, & ita se habente:

Quicumque homines sunt a DEO missi, illi sine evidentissima θεομαχία violari nullo modo possunt;

jam ad subsumtionem excutiendam se conferre, & cum reliquis Consultatoribus illam etiam propositionem excutere:

Atqui Apostoli, viri praesentes, sunt homines a DEO missi;
Id quod nullo negotio, qua pollebat autoritate, persuadere, & praeterea, pro ea, qua instructus erat Scripturae lectione & perscrutatione, demonstrare poterat: accitis in subsidium & doctrinis & miraculis, ab Apostolis & in coetu fidelium gestis, atque cum vaticiniis Prophetarum collatis. Erat enim duplex negotium, quod agebatur; Politicum, ad quod expediundum & extricandum, vel saltem maturius deliberandum, isto dilemmate rem satis feliciter gerebat. Ubi vero post moram deliberandi ulterius impetratam, de summa illius & momento doctrinali, non sine Theologico scrutinio doctrinarum & integritatis muneris Apostolici, aliquid sobrie definiri poterat, par omnino erat, ut antequam ad flagra festinaretur, probe disquireretur, quidnam peccaverint, & an actiones & conciones Apostolorum vel ullam castigationem meruerint? Quod cum non factum, sed sententia potius praecipitata
sic,

fit, & in Christianismi dedecus tandem tendere debuerit; quam male ista consultatio gesta & finita sit, cuilibet intelligenti in promptu est. Non praeter rem MARLORATVS: Apparet quam infelicititer cedant media consilia. Impetrat quidem Gamaliel, ut vitae Apostolorum parcat: Sed interrim contumelia afficitur Filius DEI in illorum persona! Eodem modo iustitiam exercuit Pilatus, qui tametsi probe noverat Servatorem dulcissimum nihil unquam poenae promeruisse, ut tamen mediam viam ingrederetur, & populo aliquid grati exhiberet, tandem pronunciavit: *παύσας αὐτὸν ἀπολύσω* Luc. XXIII, 22. Decrevit itaque *castrationem*, imo deinceps *mortem* contra omne dictamen conscientiae, eum insontem declarantis. Quod sane *θεομαχίας* non postremum exemplum est.

§. XVI.

Ex his itaque jam in tuto est, *initio deliberationis* satis se bene gessisse Gamalielem, sed postquam *ad arcem negotii* deventum est, sibi ipsi defuisse; adeoque in prima quaestione virum prudentem, in altera vero de rebus fidei Theologum mutum repraesentavisse, qui in causa DEI defendenda maluit favorem hominum quam DEI, pro more Phariseis etiam aliis recepto, de quibus testatur Spiritus Sanctus: *ἡγάπησαν τὴν δόξαν τῶν ἀνθρώπων μάλλον, ἢ περ τὴν δόξαν τῆς Θεᾶς*. Joh. XII, 43. Et quamdiu hoc faciebant, *impossibile fuisse ut crederent*, Salvator ipsis exprobrat Joh. V, 44. Ita dum initio consultationis Gamaliel Θεομαχίας adeo, & forte serio satis, dissuasit: sub finem ejus nihilominus in istam Scyllam incidit, & fortassis etiam ibi periit. Nihil enim de ejus poenitentia, aut emendatione in Actis Apostolorum commemoratur. Frustra itaque CORNELIVS à LAPIDE in eam sententiam devenit, *vo-*
luisse

*luisse Gamalielē innuere, ut serio & sine passione inquirere-
tur, an hoc opus non sit ex DEO Comm. in h. l.* Nam eam
mentem ipsi non constantem fuisse, sed ut potius res inta-
cta maneret, eum desideravisse, vel ex eo patet, quod & di-
catur, reliquos assensisse ipsi, & simul Apostolos cum fla-
gris esse dimissos, absque capitis imminutione. Tolerabi-
lius est quod STRESO in ejus defensionem adfert, quod
GAMALIEL, cum probe perspiceret, se adversus tantam
multitudinem consiliis suis non valiturum, obtinuerit quan-
tum obtinere potuerit, & reliqua temporis permiserit. Quod
tamen eum non protinus excusat, cum incertum sit, annon
illi repraesentationi ulteriori plures fuissent assensuri & cal-
culum adjecturi, si ea, qua usus antea erat moderatione, rem
ipsam porro tractavisset & ventilavisset. Neque ex recen-
sione Evangelistae evincere potest BARONIUS, quod ad
Gamalielis culpam imminuendam in medium affert, *prae-
ter omnem voluntatem ejus evenisse, ut caederentur Apostoli,
quin potius ex Caiphae & Annae imperio istud factum esse;*
cujus conjecturae cum aliam fidem non faciat, quam au-
toritatem supra dicti CLEMENTIS, malumus simplicissimis
verbis Spiritus S. inhaerere, quibus dicitur, quod illa fla-
gellatio eo non invito aut contradicente facta sit, sed po-
tius ex consensu, cum ex ejus consilio originem traxerit;
Επειδήσαν αὐτῶ, δέραντες τὸς Ἀποστόλους παρήγγειλαν.
Consenserunt illi & flagellarunt; ubi si ipso invito factum
fuisset, non aliter quam per τὸ ἀλλὰ exprimi potuisset.

§. XVII.

Quomodo jam illud consilium GAMALIELIS in imi-
tationem trahi recte possit, paucis pro instituti brevitate
exponemus. Ante omnia & in omnibus consultationibus
illud primum & praecipuum maximeque salutare ex Sena-
toris

toris illius vel Praesidis verbis fuit, *ne aliqua deorum committatur, & aut DEI opus impediatur, aut Satanae opera promoveantur*, sed ea, quae revera ex verbo ejus voluntati revelatae convenire, idoneis invictisque argumentis demonstrantur, defendantur, propagentur & conserventur. Haec regula adeo gravis, solida, necessaria & firma est, ut si fundamenti loco subternatur, ex difficillimis etiam & maxime salebrosis negotiis Numinis auxilio expectandus sit felicissimus exitus. Omnis igitur conatus erit suscipiendus pro DEO ejusque gloria, non contra DEVM & ipsius honorem, cum & impium sit & inane cum Numine luctari. Prov. XXI, 20.

II. Ut sicubi dubiae & difficiles deliberationes circa res & fata ecclesiae sese objiciant, uti interdum tales cribrationes satis cumulari solent: non sine aliqua consultationum praevariarum mora, sententia ac propositum determinetur, raro enim nimis festinata succedunt. Ita ad GAMALIELIS consilium non perperam provocabatur a D. LUTHERO nostro, ubi videbat Melanchthonem de corruptelis novorum Prophetarum quaesitum, consilii inopem dubiumque & anxium, quorsum se inter tot salebras conjiceret ac verteret: *Non probo tuam timiditatem, cum & majori tam Spiritu, quam eruditione polleas quam ego. Ac primum cum testimonium perhibeant de se ipsis, non statim audiendi sunt, sed juxta consilium Johannis Spiritus probandi: Habetis consilium, (pergit) consilium Gamalielis differendi, nihil enim adhuc audio ab eis dici & fieri, quod Satanas non queat praestare vel aemulari. Tu autem ex mea parte hoc explores, an vocationem suam possint probare. Neque enim DEVS unquam aliquem misit, nisi vel per hominem vocatum, vel per signa declaratum, ne ipsum quidem Filium.*

Pror-

Prorsus nolo eos recipi, si nuda revelatione sese vocatos adserant, cum nec Samuelem quidem vellet loqui DEVS, nisi per auctoritatem consciam Heli. Hoc primum ad publicam docendi functionem pertinet. T. II. Epistol. Luth. p. 41.

III. Ne jura illa interposita degeneret in stertorem & rerum sacrarum incuriam, qua eventui omnia, quae obveniunt, committenda esse credatur, adeoque ne manus quidem ad defendendam veritatem, & falsitatem novam se exerentem adhibeatur. Non sane male judicat CASP. STRESIVS: Certe hoc consilium hominibus hujus seculi apprimè arripet, quo imprimis hoc urgetur, ut omnes Sectae habeant suam libertatem, & exitus DEO & tempori commendentur, ut ex exitu, quae fuerit vera religio nec? appareat. Sed si hoc verum est, quo fine magistratus gladium gerit, & quo fine ministris data est potestas disciplinae ecclesiasticae? Et quid sit vera religio nec ne? non ex successu & eventu, sed ex verbo DEI sciendum est. Periculosissima res est, praesidium causae in eventum & duratione ejus quaerere. Constat enim, pessima quaeque interdum satis diu duravisse quod exempla Mahumedismi, & quondam Arianismi, doceant. Recte OLEARIVS im Bedencken von Offenabrun-gen p. 42. Es hindert gar nicht, daß etliche meynen, man solte erst den eventum oder Ausgang erwarten, und sehen, weil Pfingsten nicht mehr weit, wo die vermeynten zwölff neue Bauren Aposteln blieben (loquitur de materia substracta, nimirum rusticis quibusdam, quos aliquis illorum excitare volebat) Denn weil dieser verführische Geist schon allbereit auff der Lügen, Verführung und Lästung ist ertappet worden, so darff man ihm gar nicht mehr trauen, und dieses höchstschädliche Unkraut weiter umb sich fressen lassen, die vermeynten XII. neuen Aposteln möchten noch wohl

wobl andere XX. ausbecken, und schlimmer werden, als die obgedachten 28. Apostel des Schneiders-Königs zu Münster, und sich unterstehen die Obrigkeit samt den Predigern aus dem Lande zu jagen. Summa, man darff keiner Lügen dazu, daß man das Gebot halte. Sir. XXXIV, 8.

III. Vt quaestio illa: Num oblata aliqua doctrina, novique conatus, quos interdum homines moliantur, ex DEO sint, num vero minus, pacandae conscientiae causa, & ad rem eo melius decernendam, a personis magistratum constituentibus, ut & Viris ad docendum in Ecclesia DEI vocatis serio & studiose ventiletur, & conformitas vel diffinitas cum verbo Dei ostendatur. Quod priores attinet, decet sane & populi duces in rebus ad religionem spectantibus non esse perfunctorie versatos, ut examen de iis ex verbo Numinis instituere possint; A Magistratu exigitur scientia cum RELIGIONIS SEQUESTRA, & prudentia circuitoria ac nutritia, ne pro lacte venenum porrigi jubeat, sicutve Deuteron. XVII, 18. tum JUSTITIAE administrandae ARBITRA; scribit DANNHAVERVS Theolog. Conscientiar. P. I. p. 88. verbaque BRENTII egregia adfert: *Quamquam prudentia est, si non intelligas diversitatem religionum, a judicio earum causarum abstinere, tamen non est pietas, ut, quae sit vera religio, non discas, neque cognoscas, eamque cognitam officio Magistratus tui non adjuves. Omnium enim hominum, nedum Magistratus, interest veram religionem cognoscere, & pro virili sua juxta modum vocationis suae adjuvare & defendere. Proinde impietas est, quod Gallio non requirat veram religionem, eamque, quantum magistratui civili licet, ab Haereticis, Schismaticis & aliis adversariis defendat.* Comm. ad Actorum c. XVIII. p. 418. Quod Brentius impietatem, hoc textus noster dicit θεομαχίαν.

IV. Vt sigillatim Doctores ecclesiae sententiam, utrum doctrina & tentamina novaturientium ex Deo sit, intrepide, etsi non absque modestia & animi moderatione, pronuncient. Tenentur enim per conscientiam ad antithesin errorum fidei, prout evincit argumentis idoneis laudatus Dannhauerus T. I. Theol. Conscient. P. II. p. 425. probatque eos injuriae conveniri minime posse, si adversarium, etiam in sinu ecclesiae adhuc latentem, Atheismi, Samaritanismi, & hujusmodi debortatorie postulent, ac erroris foeditatem hoc modo ostendant. p. 1151. Demonstrat etiam B. HVLSEMANNS de Jure Correctionis fraternae p. 325. quod ipsis amplior facultas & potestas data sit, non solum incommoda & damna ex heterodidascalia & scandalis secutura ob oculos ponendi, sed ex indicis etiam de animo judicandi, animum taxandi, reprehendendi, castigandi, solo emendandi fine: quia his ex officio incumbit providere, ne universa respublica Christiana, pro cuius salute quisque partem sollicitudinis gerit, detrimentum patiatur. Arguta, veratamen verba sunt D. Lutheri: *Unter den Lehrern müssen auch seyn, die das Licht butzen, daß es nicht verlösche vor Unflat, wie in Moses Leuchte bedeutet ist, denn die ersten Lehrer legen den Grund, und pflanzen, aber wo nicht folgen andere, die solche Lehre treiben, begießen und erhalten, so ist Fleisch und Blut faul und laß, und läßt das Licht einen Butzen und Kolben kriegen, davon es tuncet wird, bis daß es gar verlöscht.* Recte itaque etiam ex Reformatis SIBRANDVS LVBERTVS: Maxima pars hominum sinistre judicat de laboribus & curis, quas Doctores in explicanda & defendenda doctrina Christiana ponunt. Multi enim religionem tanquam inanes fabulas & terribamenta ad hominum animos percellendos excogitata rident & subfannant: hi putant omnes contentiones de dogmatis Christianae religionis tantum esse logomachias, Dedicat. Libri contra Socinum. In quo

quo utinam non Doctores ecclesiae ipsi interdum fluctuarent. Immitus paulo recentissime alicubi scriptum existimamus: *Plurimis haud dubio controversiis carituram esse Theologiam, nisi inanis de vocibus controversiis ea deformaretur mirum in modum & conspurcetur.* Optandum sane ut pleraeque controversiae in ambiguitate vocum consisterent, multis iisque insignibus certaminibus supersederi potuisset: nunc rem longe aliter se habere atque habuisse, inductio exemplorum docet.

V. Vt perquisita confectaue sententia, errorum crassissimorum atque cumprimis universae Ecclesiae, qua Christiana dicitur, faciem evertentium, propagatoribus obex legitimis modis ponatur, ne gangraena totum per corpus serpat, idque nec in excessu, nec defectu peccando expediatur. Abusus enim est sententiae GAMALIELIS, quando WOLZOGENIUS scribit: *De Haereticis controversa res est, & disputationi subiecta, ideoque non carnali brachio violenter tractanda, sed post tentata media spiritualia DEI iudicio relinquenda.* Comm. in Acta, Opp. p. 36. Neque opus carnali violentia, neque derelictione causae; datur tertium, ut adversus seductores debita disciplina exerceatur, de quorum seductione genuinis indiis constat. *Die ernste Straffe soll nicht schlaffen, wenn die Sünde am Tage ist, wie Augustinus saget: Jedoch soll die Sünde am Tage und offenbahr seyn, das ist, man soll mit der Straffe nicht eilen, sondern sich zuvor aller Sachen wohl erkundigen. Denn man kan zuweilen etwas für Ketzerey halten, so man aber recht nach Gottes Wort urtheilet, so ist die rechte lautere Warheit. Das Urtheil soll für die Straff gehen. Wer aber Ketzerey urtheilen will, der muß solch Urtheil nirgends denn bey der Schrift suchen.* Homilia in Festum Magor.

VI. Ne agnitae & perspectae veritati reluctemur, sed ut alii quoque eam agnoscant, agnitamque non persequantur. Ita

Gamalielis consilium multo melius quam ab ipso factum, expeditur. Audiamus Lutherum nostrum literis ad Electorem Moguntinum datis: *Wolte Gott, E. C. F. G. könnte, oder wer es wäre, jetzt auch ein Gamaliel seyn, der solchen Rath des Friedens den andern fürschlüge, und sie beredete, ob vielleicht Gott Gnade verleyhen wolte, daß sie von ihren Toben ablieffen, und nicht so halbstarrig wider ihr Gewissen, und wider GOTT STRITTEN. Es ist ja der beste Rath, den man in dieser Sache haben kan, und Lucas solch Exempel nicht umbsonst so fleißig hat wollen schreiben: So ist ja gewißlich eine Sünde in den H. Geist, die erkannte Arbeit anfechten, und zwar wir hätten sonst Sünde genug, dürfften nicht noch dazu die Sünde in den Heil. Geist auch auff uns laden.* T. V. Altenburg. p. 199.

§. XVIII. Varios tandem abusus malasque applicationes hoc consilium Gamalielis subiisse, dubio non caret; Quod enim ille in sententia mortis, de innocentibus ferenda, illud nonnulli in sententia de re etiam aperte ad gloriam Dei pertinenti differendum & intermittendum judicant: quod ille in re dubia, bona tamen in se, hoc illi in re aperte mala faciendum putant. Quam ille contentionem adhibuit ad comprimendos affectus praeposteros, hi ad omnem Zelum eliminandum, Ille ad temperandum rigorem adversus innocentes, hi ad auferendam animadversionem erga nocentes accommodant. Male sic Inspirati recentiores in scripto suo novissimo ad causam pessimam tuendam & conservandam consilium illud Gamalielis admodum serio svadent & commendant, p. 9. & 77. cum prius ipsis incumbat divinitatem sui instituti jactatam, perinde ut Apostoli fecerunt, indubitatis testimoniis comprobare ac demonstrare. Quod ubi fieri non potest, non opus est diuturna Gamalielis mora, sed portentosae illorum praestigiae compescendae sine longa cunctatione prudentioribus videntur. Est enim *θεομαχίας* reus, qui operationibus Spiritus S. ordinariis & ad salutem sufficientibus contemptis extraordinarias sibi arrogat, seque & alios, utinam non aeternum! infeliciter fallit,